Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1179
Quelle:
Copyright:

ecclesia et ecclesiastis. Sexta de cruce. de tempore paschali. de orationibus. de elemosinis. de milicia. de dominis et seruis. de matrimonio. qui apostoli habuerint uxores. Septima de restauratione angelorum et hominum. de diabolo. de antichristo. de ultimo iudicio. de resurrectione. de gehenna. de igne ante iudicium et post. Initium Partis I. *Hier. Pater iste familias homo dicitur similitudine non ueritate* &c. Partis VII. finis: *Nec hoc in episcoporum tantum et sacerdotum. sed in diaconorum ordinationibus obseruasse apostolos. animaduertimus in actibus apostolorum.* Et: *Scribenti Salus. Legenti Vita Eterna. Amen. Explicit.* Quae a *fol.* 136. p. 2. sequuntur, instar *Adpendicis* haberi possunt, ordine non magis concinno, quam in ipso Opere. Ita initium statim fit a loco *Zachariae suprad.* de Dimissione Uxoris, qui legitur *Concord. Evangel.* L. III. c. 100. *Bibl. Patr. cit.* p. 847. Succedit locus *Augustini de S. Trinitate* &c.

Fol. 154. p. 2. rursus legas: *De Sacramento Corporis et Sanguinis in Concordia Euangelior. Aug. Zacharias.* Excerptum istud incipit: *Nunc gratia tanti sacramenti. quod per excellentiam dicitur eucharistia* &c. et legitur *Concord. cit.* L. IV. c. 156. *Bibl. Patr. Lugd.* p. 914. Succedunt ei diversa PP. loca, dum concludatur: *Omnibus ergo clericis laicis et in diuersis huius mundi dignationibus constitutis sobrietatem cum bonis moribus suademus. Per christum dominum Nostrum.* His adjecit Librarius:

Scriba petit codicis presentis lector ut omnis
Adiuuet hunc precibus uotis deus annuat huius.

Dixi supra: e *Prologis* non illico Opus istud ad *Zachariam Chrysopol.* referendum esse. Interim non nego ad illum referri posse. Quo casu *Prologos* et *Adpendicem* in hoc *Codice* Posterior quispiam adscripserit, et *Zacharias* ipse Opere augebitur, quod nemo eorum, qui de eo tradidere, novit.

CCCI. VI. F. 3.

387 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 119. 4. egregie scriptus, rubricisque distinctus continet Autoris mihi ignoti *Collectanea e Dictis PP. Conciliorumque Canonibus ad corrigendos*, ut ipse in Praef. ait, *uel ad instruendos mores humanos.* Incipit haec Praefatio: *Hec pauca Beatitudo uestra gratifice quęso excipiat deflorata. que non ex uno unius doctoris prato diuinę auctoritatis studui decerpere. sed per multorum patrum florigera rura cordis et corporis ceruice summissa. studiose succintim celeriterque ut iussio sanctitatis uestrę extitit cucurri. et ex his bos odoriferos domino largiente. prout potui flores excerpsi.*